



BOLETIN ECLESIASTICO

DE LOS OBISPADOS DE

SALAMANCA Y CIUDAD-RODRIGO.

V. † J.

NOS EL OBISPO DE SALAMANCA
Y ADMINISTRADOR APOSTÓLICO DE CIUDAD-RODRIGO.

*A nuestros muy amados diocesanos salud y paz en
Jesucristo.*

El Señor que en su infinita misericordia se digna purificar á los justos en el crisol de la tribulacion, permite que nuevas amarguras aflijan en la actualidad al Padre comun de los fieles. Un numeroso ejército ha ocupado la capital del Orbe católico, y el Papa-Rey se halla como prisionero en sus dominios. En tan crítica situacion deber es de todo fiel cristiano volar en su auxilio. ¿Y cómo lo haremos?... Con nuestras oraciones. Ellas han renovado no pocas veces la faz de la tierra; y en la presente ocasion alcanzarán al Sucesor de San Pedro los auxilios oportunos, para dirigir la nave de la Iglesia con la libertad é independenciam que necesita.

Si los poderosos del mundo se manifiestan indiferentes á la voz de la justicia que altamente protesta contra

la violacion de los mas sagrados derechos, no dejará Dios de mostrarse propicio á las súplicas de los que con viva fé y fervorosa perseverancia imploran su proteccion.

Ni aun humanamente hablando y prescindiendo de todo principio legal se encuentra motivo aparente que cohoneste se prive al Romano Pontífice de su reducido dominio. El Papa es el mas inofensivo y pacífico de los soberanos. Su gobierno ha sido constantemente el mas paternal y el menos gravoso á sus subditos. Sin transigir con el error y el crimen protege como el que mas la verdadera libertad del pueblo y todas sus aspiraciones legítimas. Guardando la debida consideracion á las eminencias sociales, es popular y simpático á las clases menesterosas y productivas. En su balanza pesa mas la aristocracia del talento, que la de la fuerza; vale mas la virtud que todas las riquezas del mundo. Las ciencias sagradas y profanas, el comercio, la agricultura y las artes, todo lo que constituye la civilizacion y el progreso de las naciones en el verdadero sentido de esas palabras, de las cuales tanto se abusa en nuestros tiempos, han siempre florecido y prosperado á la sombra del trono papal.

No desmayemos por la entrada de las tropas no Romanas en Roma.—Dios lo ha permitido.—A la hora fijada por el Rey de los reyes, y Señor de los dominantes, Él mismo las hará salir. Así entraron y salieron los ejércitos del godo Alarico y del vándalo Genserico en

el siglo V; los del ostrogodo Atila en el VI; los del longobardo Astolfo en el VIII; los sarracenos de Africa en el IX; los del Emperador de Alemania en el XVI; y otros en tiempos posteriores hasta los presentes. Oremos con confianza. Dios protegerá á su Ungido. La oracion del justo es llave del Cielo. Sube la plegaria, y baja la divina misericordia. *Ascendit oratio, et descendit Dei miseratio.*

A este fin encargamos á nuestro Ilmo. Cabildo Cathedral, al de Ciudad-Rodrigo, y Comunidades religiosas de una y otra diócesis, que en uno de los Domingos del corriente mes, y á los Curas Párrocos en el inmediato al en que leyeren al pueblo la presente circular, celebren funcion de rogativas, con exposicion de Su Divina Magestad donde para ello hubiere recursos. Dicha rogativa consistirá en el rezo de la estacion al Santísimo Sacramento, y de las letanías mayores.—En lo sucesivo, así en las Misas solemnes como en las privadas, despues de la colecta del Espíritu Santo se dirá la *Et famulos*, con la supresion de las palabras que las circunstancias exigen, omitiendo las demás oraciones que por anteriores mandatos se venian rezando.

Salamanca 10 de Octubre de 1870.—FR. JOAQUIN,
Obispo de Salamanca y Administrador Apostólico de Ciudad-Rodrigo.—D. S. B.

SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI

PII

DIVINA PROVIDENTIA

P A P A E I X .

CONSTITUTIO

QUA

ECCLESIASTICAE CENSURAE LATAE SENTENTIAE

LIMITANTUR.

PIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

Apostolicæ Sedis moderationi convenit, quæ salubriter veterum canonum auctoritate constituta sunt, sic retinere, ut, si temporum rerumque mutatio quidpiam esse temperandum prudenti dispensatione suadeat, Eadem Apostolica Sedes congruum supremæ suæ potestatis remedium ac providentiam impendat. Quamobrem cum animo nostro jampridem revolveremus, ecclesiasticas censuras, quæ per modum latæ sententiæ, ipsoque facto incurrendæ ad incolumitatem ac disciplinam ipsius Ecclesiæ tulandam, effrenenque improborum licentiam coercendam et emendandam sancte per singulas ætates indicatæ ac promulgatæ sunt, magnum ad numerum sensim excrevisse; quasdam etiam, temporibus moribusque mutatis, a fine atque causis, ob quas impositæ fuerant, vel a pristina utilitate, atque opportunitate excidisse; eamque ob rem non infrequenter oriri sive in iis, quibus animarum cura commissa est, sive in ipsis fidelibus dubietates, anxietates, angoresque conscientiæ; Nos ejusmodi incommodis occurrere volentes, plenam earumdem recensionem fieri, Nobisque proponi jussimus, ut, diligenti adhibita consideratione, statueremus, quasnam ex illis servare ac retinere oporteret, quas vero moderari, aut åbrogare con-

grueret. Ea igitur recensione peracta, ac Venerabilibus Fratribus Nostris S. R. E. Cardinalibus in negotiis Fidei Generalibus Inquisitoribus per universam Christianam Rempublicam deputatis in consilium adscitis, reque diu ac mature perpensa, motu proprio, certa scientia, matura deliberatione Nostra, deque Apostolicæ Nostræ potestatis plenitudine hac perpetuo valitura Constitutione decernimus, ut ex quibuscumque censuris sive excommunicatōnis, sive suspensionis, sive interdicti, quæ per modum latæ sententiæ, ipsoque facto incurrendæ hactenus impositæ sunt, nonnisi illæ, quas in hac ipsa Constitutione inserimus, eoque modo, quo inserimus, robur exinde habeant; simul declarantes, easdem non modo ex veterum canonum auctoritate, quatenus cum hac Nostra Constitutione conveniunt, verum etiam ex hac ipsa Constitutione Nostra, non secus ac si primum editæ ab ea fuerint, vim suam prorsus accipere debere.

Excommunicationes latæ sententiæ speciali modo Romano Pontifici reservatæ.

Itaque excommunicationi latæ sententiæ speciali modo Romano Pontifici reservatæ subjacere declaramus:

1.

Omnes a christiana fide apostatas, et omnes ac singulos hæreticos, quocumque nomine censeantur, et cujuscumque sectæ existant, eisque credentes, eorumque receptores, fautores, ac generaliter quoslibet illorum defensores.

2

Omnes et singulos scienter legentes sine auctoritate Sedis Apostolicæ libros eorandem apostatarum et hæreticorum hæresim propugnantes, nec non libros cujusvis auctoris per Apostolicas litteras nominatim prohibitos, eosdemque libros retinentes, imprimentes et quomodolibet defendentes.

3

Schismaticos et eos qui a Romani Pontificis pro tempore existentis obedientia pertinaciter se subtrahunt, vel recedunt.

4.

Omnes et singulos, cujuscumque status, gradus seu conditionis fuerint, ab ordinationibus seu mandatis Romanorum Pontificum pro tempore existentium ad universale futurum Concilium appellantes, nec non eos, quorum auxilio, consilio vel favore appellatum fuerit.

5.

Omnes interficientes, mutilantes, percutientes, capientes, carcerantes, detinentes, vel hostiliter insequentes S. R. E. Cardinales, Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, Sedisque Apostolicæ Legatos, vel Nuncios, aut eos a suis Dioecesibus, Territoriis, Terris, seu Dominiis ejicientes, nec non ea mandantes, vel rata habentes, seu præstantes in eis auxilium, consilium vel favorem.

6.

Impedientes directe vel indirecte exercitium jurisdictionis ecclesiasticæ sive interni sive externi fori, et ad hoc recurrentes ad forum sæculare eisque mandata procurantes, edentes, aut auxilium, consilium vel favorem præstantes.

7.

Cogentes sive directe sive indirecte judices laicos ad trahendum ad suum tribunal personas ecclesiasticas præter canonicas dispositiones; item edentes leges vel decreta contra libertatem aut jura Ecclesiæ.

8.

Recurrentes ad laicam potestatem ad impediendas litteras vel acta quælibet a Sede Apostolica, vel ab ejusdem Legatis aut Delegatis quibuscumque profecta eorumque promulgationem vel executionem directe vel indirecte prohibentes, aut eorum causa sive ipsas partes, sive alios lædentes, vel perterrefacientes.

9.

Omnes falsarios litterarum Apostolicarum, etiam in forma Brevis ac supplicationum gratiam vel justitiam concernentium

per Romanum Pontificem, vel S. R. E. Vice-Cancellarios seu Gerentes vices eorum aut de mandato Ejusdem Romani Pontificis signatarum: nec non falso publicantes Litteras Apostolicas, etiam in forma Brevis, et etiam falso signantes supplicationes hujusmodi sub nomine Romani Pontificis, seu Vice-Cancellarii aut Gerentis vices prædictorum.

10.

Absolventes complicem in peccato turpi etiam in mortis articulo, si alius Sacerdos licet non adprobatus ad confessiones, sine gravi aliqua exorbitura infamia et scandalo, possit excipere morientis confessionem.

11.

Usurpantes aut sequestrantes jurisdictionem, bona, redditus ad personas ecclesiasticas ratione suarum Ecclesiarum aut beneficiorum pertinentes.

12.

Invadentes, destruentes, detinentes per se vel per alios Civitates, Terras, loca aut jura ad Ecclesiam Romanam pertinentia; vel usurpantes, perturbantes, retinentes supremam jurisdictionem in eis; nec non ad singula prædicta auxilium, consilium, favorem præbentes.

A quibus omnibus excommunicationibus huc usque recensitis absolutionem Romano Pontifici pro tempore speciali modo reservatam esse et reservari; et pro ea generalem concessionem absolventi a casibus et censuris, sive excommunicationibus Romano Pontifici reservatis nullo pacto sufficere declaramus, revocatis insuper earundem respectu quibuscumque indultis concessis sub quavis forma et quibusvis personis etiam Regularibus cujuscumque Ordinis, Congregationis, Societatis et Instituti, etiam speciali mentione dignis et in quavis dignitate constitutis. Absolvere autem præsumentes sine debita facultate, etiam quovis prætextu, excommunicationis vinculo Romano Pontifici reservatæ innodatos se sciant, dummodo non agatur de mortis articulo, in quo tamen firma sit quoad absolutos obligatio standi mandatis Ecclesiæ, si convaluerint.

Excommunicationes latæ sententiæ Romano Pontifici reservatæ.

Excommunicationi latæ sententiæ Romano Pontifici reservatæ subjacere declaramus:

1.

Docentes vel defendentes sive publice, sive privatim propositiones ab Apostolica Sede damnatas sub excommunicationis pœna latæ sententiæ; item docentes vel defendentes tamquam licitam praxim inquirendi a pœnitente nomen complicitis prouti damnata est a Benedicto XIV. in Const. *Suprema* 7. Julii 1745. *Ubi primum* 2 Junii 1746. *Ad eradicandum* 23. Septembris 1746.

2.

Violentas manus, suadente diabolo, injicientes in Clericos, vel utriusque sexus Monacos, exceptis quoad reservationem casibus et personis, de quibus jure vel privilegio permittitur, ut Episcopus aut alius absolvat.

3.

Duellum perpetrantes, aut simpliciter ad illud provocantes, vel ipsum acceptantes, et quoslibet complices, vel qualemcumque operam aut favorem præbentes, nec non de industria spectantes, illudque permittentes, vel quantum in illis est, non prohibentes, cujuscumque dignitatis sint, etiam regalis vel imperialis.

4.

Nomen dantes sectæ *Massonicæ*, aut *Carbonariæ*, aut aliis ejusdem generis sectis quæ contra Ecclesiam vel legitimas potestates seu palam, seu clandestine machinantur, nec non iisdem sectis favorem qualemcumque præstantes; earumve occultos coriphæos ac duces non denunciantes, donec non denunciaverint.

5.

Immunitatem asylî ecclesiastici violare jubentes, aut ausu temerario violantes.

6.

Violantes clausuram Monialium, cujuscumque generis aut conditionis, sexus vel ætatis fuerint, in earum monasteria absque legitima licentia ingrediendo; pariterque eos introducetes vel admittentes; itemque Moniales ab illa exeuntes extra casus ac forma a S. Pio V. in Constit. *Decori* præscriptam.

7.

Mulieres violantes Regularium virorum clausuram, et Superiores aliasve eas admittentes.

8.

Reos simoniæ realis in beneficiis quibuscumque, eorumque complices.

9.

Reos simoniæ confidentialis in beneficiis quibuslibet, cujuscumque sint dignitatis.

10.

Reos simoniæ realis ob ingressum in Religionem.

11.

Omnes qui quæstum facientes ex indulgentiis aliisque gratiis spiritualibus excommunicationis censura plectuntur Constitutione S. Pii V. *Quam plenum* 2. Januarii 1554.

12.

Colligentes eleemosynas majoris pretii pro Missis, et ex iis lucrum captantes, faciendo eas celebrari in locis ubi Missarum stipendia minoris pretii esse solent.

13.

Omnes qui excommunicatione mulcantur in Constitutionibus S. Pii V. *Admonet nos* quarto Kalendas Aprilis 1567., Innocentii IX. *Quæ ab hac Sede* pridie nonas, Novembris 1591., Cle-

mentis VIII. *Ad Romani Pontificis curam* 26. Junii 1592. et Alexandri VII. *Inter ceteras* nono Kalendas Novembris 1660. alienationem et infeudationem Civitatum et Locorum S. R. E. respicientibus.

14.

Religiosos præsumentes clericis aut laicis extra casum necessitatis Sacramentum extremæ unctionis aut Eucharistiæ per viaticum ministrare absque Parochi licentia.

15.

Extrahentes absque legitima venia reliquias ex Sacris Cœmeteriis sive Catacumbis Urbis Romæ ejusque territorii, eisque auxilium vel favorem præbentes.

16.

Communicantes cum excommunicato nominalim a Papa in crimine criminoso, ei scilicet impendendø auxilium vel favorem.

17.

Clericos scienter et sponte communicantes in divinis cum personis a Romano Pontifice nominalim excommunicatis et ipsos in officiis recipientes.

Excommunicationes latæ Sententiæ Episcopis sive Ordinariis reservatæ.

Excommunicationi latæ sententiæ Episcopis sive Ordinariis reservatæ subjacere declaramus:

1.

Clericos in Sacris constitutos vel Regulares aut Moniales post votum solemne castitatis matrimonium contrahere præsumentes; nec non omnes cum aliqua ex prædictis personis matrimonium contrahere præsumentes.

2.

Procurantes abortum, effectu sequuto.

3.

Litteris apostolicis falsis scienter utentes, vel crimini ea in re cooperantes

Excommunicationes latae sententiae nemini reservatae.

Excommunicationi latae sententiae nemini reservatae subjacere declaramus:

1.

Mandantes seu cogentes tradi Ecclesiasticae Sepulturae haereticos notorios aut nominatim excommunicatos vel interdictos.

2.

Laedentes aut perterrefacientes Inquisitores, denuntiantes, testes, aliosve ministros S. Officii, ejusve Sacri Tribunalis scripturas diripientes, aut comburentes, vel praedictis quibuslibet auxilium, consilium, favorem praestantes.

3.

Alienantes et recipere praesumentes bona ecclesiastica absque Beneplacito Apostolico, ad formam Extravagantis *Ambitosae* De Reb. Ecc. non alienandis.

4.

Negligentes sive culpabiliter omittentes denunciare infra mensem Confessarios sive Sacerdotes a quibus sollicitati fuerint ad turpia in quibuslibet casibus [expressis a Praedecess. Nostri Gregorio XV. Constit. *Universi* 20. Augusti 1622. et Benedicto XIV. Constit. *Sacramentum poenitentiae* 1. Junii 1741.

Praeter hos hactenus recensitos, eos quoque quos Sacrosanctum Concilium Tridentinum, sive reservata summo Pontifici aut Ordinariis absolute, sive absque ulla reservatione excommunicavit, Nos pariter ita excommunicatos esse declaramus; excepta anathematis poena in Decreto Sess. IV. *De editione et usu Sacrorum Librorum* constituta, cui illos tantum subjacere volumus, qui libros de rebus Sacris tractantes sine Ordinarii approbatione imprimunt, aut imprimi faciunt.

Suspensiones latæ Sententiæ Summo Pontifici reservatæ.

1.

Suspensionem ipso facto incurrunt a suorum Beneficiorum perceptione ad beneplacitum S. Sedis Capitula et Conventus Ecclesiarum et Monasteriorum aliique omnes, qui ad illarum seu illorum regimen et administrationem recipiunt Episcopos aliosve Prælatos de prædictis Ecclesiis seu Monasteriis apud eandem S. Sedem quovis modo provisos, antequam ipsi exhibuerint Litteras apostolicas de sua promotione.

2.

Suspensionem per triennium a collatione Ordinum ipso jure incurrunt aliquem Ordinantes absque titulo beneficii, vel patrimonii cum pacto ut ordinatus non petat ab ipsis alimenta.

3.

Suspensionem per annum ab ordinum administratione ipso jure incurrunt Ordinantes alienum subditum etiam sub prætextu beneficii statim conferendi, aut jam collati, sed minime sufficientis, absque ejus Episcopi litteris dimissorialibus, vel etiam subditum proprium, qui alibi tanto tempore moratus sit, ut canonicum impedimentum contrahere ibi potuerit, absque Ordinarii ejus loci litteris testimonialibus.

4.

Suspensionem per annum a collatione ordinum ipso jure incurrit, qui excepto casu legitimi privilegii, ordinem Sacrum contulerit absque titulo beneficii vel patrimonii clerico in aliqua Congregatione viventi, in qua solemnis professio non emittitur vel etiam religioso nondum professo.

5.

Suspensionem perpetuam ab exercitio ordinum ipso jure incurrunt Religiosi ejecti, extra Religionem degentes.

6.

Suspensionem ab Ordine suscepto ipso jure incurrunt, qui eundem ordinem recipere præsumpserunt ab excommunicato vel suspenso, vel interdicto nominatim denunciatis, aut ab hæretico vel schismatico notorio: eum vero qui bona fide a quopiam eorum est ordinatus, exercitium non habere ordinis sic suscepti, donec dispensetur, declaramus.

7.

Clerici sæculares exteri ultra quatuor menses in Urbe commorantes ordinati ab alio quam ab ipso suo Ordinario absque licentia Card. Urbis Vicarii, vel absque prævio examine coram eodem peracto, vel etiam a proprio Ordinario posteaquam in prædicto examine rejecti fuerint; nec non clerici pertinentes ad aliquem e sex Episcopatibus suburbicariis, si ordinantur extra suam diœcesim, dimissorialibus sui Ordinarii ad alium directis quam ad Car. Urbis Vicarium; vel non præmissis ante ordinem Sacrum suscipiendum exercitiis spiritualibus per decem dies in domo urbana Sacerdotum a Missionibus nuncupatorum, suspensionem ab ordinibus sic susceptis ad beneplacitum S. Sedis ipso jure incurrunt: Episcopi vero ordinantes ab usu Pontificalium per annum.

Interdicta latæ sententiæ reservata

1.

Interdictum Romano Pontifici speciali modo reservatum ipso jure incurrunt Universitates, Collegia et Capitula, quocumque nomine nuncupentur, ab ordinationibus seu mandatis eisdem Romani Pontificis pro tempore existentis ad universale futurum Concilium appellantia.

2.

Scienter celebrantes vel celebrari facientes divina in locis ab Ordinario, vel delegato Iudice, vel a jure interdictis, aut nominatim excommunicatos ad divina officia, seu ecclesiastica Sacramenta, vel ecclesiasticam sepulturam admittentes, interdictam ab ingressu Ecclesiæ ipso jure incurrunt, donec ad ar-

bitrium ejus cujus sententiam contempserunt, competenter satisfecerint.

Denique quoscumque alios Sacrosanctum Concilium Tridentinum suspensos aut interdictos ipso jure esse decrevit, Nos pari modo suspensioni vel interdicto eosdem obnoxios esse volumus et declaramus.

Quæ vero censuræ sive excommunicationis, sive suspensionis, sive interdicti Nostris, aut Prædecessorum Nostrorum Constitutionibus, aut sacris canonibus præter eas, quas recensuimus, latæ sunt, atque hæcenus in suo vigore persisterunt sive pro R. Pontificis electione, sive pro interno regimine quorumcumque Ordinum et Institutorum Regularium nec non quorumcumque Collegiorum, Congregationum, cœtuum locorumque piorum cujuscumque nominis aut generis sint, eas omnes firmas esse, et in suo robore permanere volumus et declaramus.

Ceterum decernimus, in novis quibuscumque concessionibus ac privilegiis, quæ ab Apostolica Sede concedi cuivis contigerint, nullo modo ac ratione intelligi unquam debere, aut posse comprehendi facultatem absolventi a casibus, et censuris quibuslibet Romano Pontifici reservatis, nisi de iis formalis, explicita, ac individua mentio facta fuerit: quæ vero privilegia aut facultates, sive a Prædecessoribus Nostris, sive etiam a Nobis cuilibet Cœtui, Ordini, Congregationi, Societati, et Instituto, etiam regulari cujusvis speciei, etsi titulo peculiari prædito, atque etiam speciali mentione digno a quovis unquam tempore huc usque concessæ fuerint, ea omnia, easque omnes Nostra hac constitutione revocatas, suppressas, et abolitas esse volumus, prout reapse revocamus, supprimimus, et abolemus, minime refragantibus aut obstantibus privilegiis quibuscunque, etiam specialibus comprehensis vel non in corpore juris, aut Apostolicis Constitutionibus, et quavis confirmatione Apostolica, vel immemorabili etiam consuetudine, aut alia quacumque firmitate roboratis, quibuslibet etiam formis ac tenoribus; et cum quibusvis derogationiarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, quibus omnibus, quatenus opus sit, derogare intendimus, et derogamus.

Firmam tamen esse volumus absolventi facultatem a Tridentina Synodo Episcopis concessam *Sess. XXIV. cap. de reform.* in quibuscumque censuris Apostolicæ Sedi hac Nostra Constitutione reservatis, iis tantum exceptis, quas Eidem Apostolicæ Sedi speciali modo reservatas declaravimus.

Decernentes has Litteras, atque omnia et singula, quæ in eis constituta ac decreta sunt, omnesque et singulas, quæ in eisdem factæ sunt ex anterioribus Constitutionibus Prædecessorum Nostrorum, atque etiam Nostris, aut ex aliis sacris Canonibus quibuscumque etiam Conciliorum Generalium, et ipsius Tridentini mutationes, derogationes, suppressiones atque abrogationes ratas et firmas. ac respective rata atque firma esse et fore, suosque plenarios et integros effectus obtinere debere, ac reapse obtinere; sicque et non aliter in præmissis per quoscumque Iudices Ordinarios, et Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de Latere Legatos, ac Apostolicæ Sedis Nuntios, ac quosvis alios quacumque præeminentia, ac potestate fungentes, et functuros, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi et interpretandi facultate, et auctoritate, judicare, ac definiri debere; et irritum atque inane esse ac fore quidquid super his a quocumque quavis auctoritate, etiam prætextu cujuslibet privilegii, aut consuetudinis inductæ vel inducendæ, quam abusum esse declaramus, scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Non obstantibus præmissis, aliisque quibuslibet ordinationibus, constitutionibus, privilegiis, etiam speciali et individua mentione dignis, nec non consuetudinibus quibusvis, etiam memorabilibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostræ Constitutionis, Ordinationis, limitationis suppressionis, derogationis, voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei et Beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus, se noverit incursum.

Datum Romæ apud S. Petrum anno incarnationis Dominicæ Millesimo Octingentesimo Sexagesimo Nono, Quarto Idus octobris Pontificatus nostri anno vigesimo quarto.

MARIUS CAR. MATTEI Pro-Datarius.—N. CAR. PARACCIANI CLARELLI

—Visa de Curia, Dominicus Bruti.—Loco ✠ Plumbi.—I. Cugnoni

NOS EL DOCTOR D. ROSENDO MIGUEL DEL CORRAL,
Canónico Doctoral de la Santa Iglesia Catedral de Ciudad-
Rodrigo, Subdelegado Castrense, Provisor y Vicario general

y Delegado para la instruccion de los expedientes de las Capellanias de sangre y otras fundaciones piadosas por el Excelentísimo é Ilustrísimo Sr. Dr. D. Fr. Joaquin Lluch y Garriga, Obispo de Salamanca y Administrador Apostólico de esta Diócesis de Ciudad-Rodrigo,

Hacemos saber: Que á instancia de Manuel Moreno Corvo, vecino de Ciudad-Rodrigo, se instruye expediente de conmutacion de la Capellania colativa de Patronato activo familiar fundada en la Santa Iglesia Catedral por D. Pedro García Moreno y de que es poseedor actual el Presbitero D. Cristobal Gomez.

Los que se crean con derecho á ella comparecerán con esposicion escrita y demás documentos necesarios, ante esta delegacion, en el término de veinte dias pasados los cuales les parará el perjuicio, que haya lugar.

Ciudad Rodrigo 29 de Setiembre de 1870.—Doctor Rosendo M. del Corral.—Por mandado de S. S., Nicolás Cascón, Secretario.

AVISO.

En 2 de Marzo y 21 de Mayo de 1870 fallecieron los Sres. Don Benito Ramon Losada, Canónigo de esta Sta. Basilica Catedral y D. José Tomás Olazaran, Beneficiado de S. Justo de esta Ciudad: ambos pertenecian á la hermandad de sufragios del Clero con los números 7 y 297. Y tambien en 19 de Setiembre ha fallecido el Sr. D. Pedro Juan Monedero, Canónigo de esta misma Santa Iglesia —R. I. P.

NOMBRAMIENTOS.

Han sido nombrados por S. E. I. Canónigos de esta Santa Basilica Catedral en las dos anteriores vacantes, cuya provision le correspondia, los Sres. Dr. D. Francisco Ramos, Cura Párroco que era de la de la Catedral de esta Ciudad, y D. Miguel Fuentes Huertos, Beneficiado Coadjutor de la de Santo Tomás Apostol de la misma, Examinadores Sinodales de Obispado.

IMP. DE OLIVA Y HERMANO.